

1503 bus se oppidum ad prædam militibus daturos, si cives de-
ditionem differant, ante diem tertiumdecimum calendarum
decembrium Faventia deditur. Venetias ubi de eo est al-
latum, Senatusconsultum fit, ne Julii animus irritetur,
nihil oppidorum Cæsaris recipi amplius ab legatis oportere:
satis in Arimino atque Faventia reipublicæ factum. De-
inde legatorum alter jussus Ariminum se conferre, hone-
standi oppidi causa.

Iisdem diebus Andreas Grittus, quem Senatus ad regem
Thracum miserat, pacis conditionibus aliquot in reipu-
blicæ utilitatem recognitis, ipsa recte firmata domum redi-
it. At cum paulo post Roma Antonii legati literis Pa-
tres intellexissent, multorum sermonibus confirmari Julii
permisu Cæfarem ad suum in Flaminia regnum propediem
reversurum: proximo Senatusconsulto rescisso, literæ sunt
ad legatos ab Senatu datæ, ut quidquid possent, de Cæ-
sar's ditione reipublicæ addere capereque festinarent. Ea re
evenit, ut Meldulam in Ariminensi agro, & Tossinianum
in Foro Cornelieni, pagos muris arcibusque communitos,
missi ab legatis equites ad reipublicæ imperium lubentissi-
mos adjecerint. Post hæc Angelus Episcopus Tiburtinus,
qui Alexandri legatus aliquot annos apud rempublicam
fuerat, eoque mortuo Romam redierat, iterum missu Ju-
lli Venetias venit eodem legati nomine. Is primo adven-
tus sui die Salvere ab Julio Lauredanum Principem & Pa-
tres jussit humanissimis amantissimisque verbis: eisque gra-
tias ingentes agere illum dixit, quod in se juvando, ut Pon-
tifex Maximus legeretur, multum operæ studiique contulissent:
plurimumque ex ea se re debere Senatui, libenter profiteri,
neque unquam ejus officii memoriam abjecturum: amare in-
super sua sponte Venetam civitatem, remque publicam optimis
utentem & institutis & legibus: itaque omnia ei omni tempo-
re tributurum, quæ ex dignitate sua tribui amicissimis homini-
bus possint. Hoc sermone habitu, appellatis suo nomine Pa-
tribus, quibus cum priore legatione assueverat, discedit,
mandata reliqua, quæ longioris essent moræ, in aliam se dif-
ferre diem pronuncians. Ea dies ubi venit, secreto apud il-

Julius
Pont. a Ve-
netis Fla-
miniam re-
petit.

los,